



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 47. Irritus Comitiorum Successus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

ſæc. XVII.
A. C. 1614.

§. XLVII.

Irritus Comitiorum ſucceſſus.

*Gramond.
l. c. Serran.
hiſt. Franc.
pag. 927.*

His utcunque complanatis, Nobilium Ordo fervide inſiſtebat, ut noxia lex, vulgo *Pauleta* dicta, qua Reipublicæ munera vendere licuit, abrogaretur: rursus tamen vehementer reclamabat Ordo popularis, apud quem plerumque propria utilitas æquitati ac juſtitix prævalere ſolet; ut vero hujus Ordinis Oratores ſaltem Clerum ad ſuas partes pertrahere poſſent, eidem exponebant, quod & ipſi Tridentinæ Synodi auctoritatem in Galliis ſaltem populi aſſenſu ſalvam habere vellent, dummodo Clerus viciffim articulum de abrogando Pontificis jure admitteret: verum ſubdola horum nundinatio ac pollicitatio, quæ tamen ad nutum impune violari potuiſſet, nimium infirma erat, ut Præſulum conſtantiam infringeret. Præſules tamen ultimum arietem pro obtinenda Concilii Tridentini promulgatione admovere tentabant, miſſo hanc in rem ad Tertii Ordinis Deputatos Bellovacenſi Epifcopo, qui tamen populares animos ab hoc propoſito longe alienos experiebatur. Insuper etiam die decima nona Februarii Nobilium Ordo Clero Gallicano ſignificabat, quod nec ipſi piis eorum deſideriis ſatisfactis.

tisfacere auderent, eo potissimum nomine, quod plures Ludovici XIII. Regis Prædecessores sese huic promulgationi disertis verbis opposuissent. Tandem igitur die vigesima tertia Februarii anni sequentis clauso Borbonico Palatio, in quo comitia habita fuere, cuncta a tribus Ordinibus conclusa eo fine prælegebantur, ut postea Regi offerrentur approbanda, simulque confirmanda. Hanc in rem seligebantur Orationes, & quidem a Clero Armandus Richelius Episcopus tunc Lucionensis, a Nobilitate Sanassæus Baro, denique a populo Mironus Præses. Placitorum autem hæc erat summa. I. *Jus, quod vocant, annuum, seu PAULETA, cujus usus virtuti, literisque perniciosus est, revocetur, ac Regiæ domus & militicæ officia hucusque venalia, deinceps distribuantur pro meritis, & stipendii numero.* Hæc tamen lex haud inhibere potuit, quin non officiorum nundinatio adhuc vigerit, ac hodie dum vigeat. II. *Beneficia Ecclesiastica Viris probis, sola virtutis & doctrinæ habita ratione conferantur.* III. *Profusæ in Primores, quandoque immeritos, pensiones minuantur, si non omnino eas extinguere præplaceat.* His plurima alia adjuncta erant decreta, quæ libello comprehensa Richelius, per integram ferme horam perorans, Regi exhibebat, ac-

Sæc. XVII.
A. C. 1614.

Sæc. XVII. cepto haud alio responso, nisi Regem
 A.C. 1614. daturum operam, ut inspectis Ordinum
 libellis, quamprimum fieri posset, re-
 sponderetur: tandem vero die vigesi-
 ma quarta Martii Cancellarius nomine
 Regis eidem declarabat: *Libellos eorum
 perlectos esse sedulo, sed tantam esse rerum
 varietatem atque multitudinem, in plerisque
 etiam contraristatem, ut tantillo tempore
 pro rei exigentia excuti omnia non potue-
 rint, cum igitur in præcipuis capitibus Re-
 gis propensum animum, affectumque claris
 signis perspexissent, non esse, cur de mino-
 ribus dubitarent, constituisse Regem vendi-
 tionibus, emptionibusque officiorum modum
 ponere, aut si opus sit, morem eum omnino
 tollere: quæsturam fiscumque secundum leges
 constitutum iri: ad cetera Cancellarius
 eos, quamprimum fieri posset, respon-
 sum exspectare jubebat.*

§. XLVIII.

Gramondi iudicium de hisce comitiis.

*Gramond.
 ad ann. 1614.
 pag, 76.*

Accepto hoc responso trium Ordinum
 Delegati solutis comitiis ad sua re-
 versi sunt, haud alio tamen emolumen-
 to, nisi quod immensis sumptibus plu-
 rimas proponere querelas potuerint,
 nullum vero remedium, sed res magis
 adhuc turbatas reliquerint, nihilque
 pro utilitate populi, aut Regni salute,
 recta-